


1628

(1)



Instituta ab
EXCELLENTISSIMO
 Comite Cubiliarcho Extraordinario
 in Angliam Lusitaniae Regio Legato
 Navigationis & inceptae Legationis

NARRATIO

A quodam Anglo, qui in ejus Comitatu erat,
 fideliter scripta.

Die 28 Julii Comes Cubiliarchus,
 Legatus Extraordinarius a Lusit-
 ano Rege destinatus in Angliam,
 Navim *Phisipona* conscendit.
 Die 20. Solvit quinque stipatus Na-
 vibus: Unâ Anglicâ lociæ gen-
 tis, duabus *Lubeconsibus*, alterâ e
 reliquis *Hollandicâ*, alterâ *Gallicâ*. Hæc, vix dum inito
 cursu, elapsa est: Cæteræ eandem viam tenuerunt.
 Brevi, qui è faucibus portus extraxerat ventus,
 naves in altum prævexit, & cum e septentrione

A

687

ve.

vehementius flaret in Austrum rejecit & ab instituto cursu avertit. Cum vento osequendum esset, è re nauticà visum à terrà quam longissimè recedere, si quos adversos ejus vicinia flatus fecerat, forte longinquitas secundos redderet. Sed contra accidit impotentia tempestatis, & ejus reflatu 200 minus Leucas in altum processimus, nec tenere situm qui *Ulyssipona* respondet, ventis obrepti potuimus. Diu errantes vexavimus *Maria* pertinacia juxta, molestaque. Nec ante nona *Anguli* secundum & constantem ventum habuimus, præter levem auram, quæ pridie Calendas ejusdem mensis a puppi afflavit. Sæpe ventus posuit, sæpe mare torpuit, navi in utrumque se latus motante. Triduo post diem septimum *Au*,usti prospera navigatio fuit. Reliqua intercisâ, & in mæandros flexuosa, ut labyrinthum in aquis texuerimus. Sic mensis exactus. Illud in tot erroribus rectum, quod *Comiti Cubiliarcho*, etsi navigandi insolenti, nihil accidit ex iis, quæ vel assuetos mari tentare folent. Integer, validus citra nauseam egit. Verum postremum ne se jactaret in tanta aliorum jactatione febriculæ tentamenta sensit, sed levia, & quæ inedia expulit. Cum prope fauces freti *Britanici* esset, prudenter in superiorem partem, quæ *Britania* attingit, velificari jussit, ac quem primum fors daret portum teneri, ne temere ac inexplorato in suspecta maria deveniret. Id quam scite animadvertum, haud multo post deliberationem apparuit. Nam cum sociâ navis *Anglica* vellet præcurrere, & *Londonium* propius accedere, & a nobis, contra datam & obligatam muneribus fidem, recederet, in speculatorium suæ gentis *Navigium* incidit, ex cujus navarcho didicit, *Batavos*

(3)
 in insidiis apud superiores *Angliae* portus esse & in
 certis quibuldam locis cum classe consistere. His ac-
 ceptis retrovertit cursum & institutam a nobis viam
 inivit. Ea nocte, quæ in diem 19. Augusti incidit, *Ply-*
mucensem portum cepimus, in quem nos secundissimus
 ventus immisit. Id mirum nos consecisse circumnavi-
 gando sexcentas circiter Leucas, perinde ac *Brasili-*
cam navigationem aggredieremur, quæ paulo pluribus
 absolvitur. Jactis anchoris vix postera quæ 20 ejus-
 dem mensis dies illuxerat, cum *Archibalaßus* Domi-
 nus *Georgius Ayscues*, qui recens ex *America* victor
 pacatis ejus Provinciae rebus advenerat, certum ho-
 minem officii causa ad *Cubiliarchum* Comitem misit:
 offerebat portum, invitabat hospitio, studia, & offi-
 cia prolixè cumulabat, & ut sibi adeundi legati copia
 fieret, postulabat. Exceptus est benevolutè a Co-
 mite, cujus responsum ad *Archibalaßum* attulit urba-
 nitatis plenum. Nec distulit Dominus *Georgius* salu-
 tationem, in navem *Lusitanam* properè venit. Ea
 confabulatio fuit, ut alter alterius sit amore captus,
 & admiratione affectus. Die proxima ad eundem
 Comes scripsit, decretum sibi esse è navi in terram
 exscendere, sed nolle se insutato eo præterire, orare
 ut copiam sui faceret.

Gratum id sibi *Archibalaßus* fore rescripsit. Igitur
 hora secundâ pomeridianâ navi egressus, scapham,
 quâ vehebatur, ad Prætoriam applicuit. Ibi honori-
 ficentissimè ab *Archibalaßo* & *Admiratio*, qui cum
 eo erat, exceptus, bonam diem partem consumpsit.
 Cum discederet, noluit eum in comitatum *Archiba-*
laßus dimittere. Egressus cum *Admiratio* in suum *Cubi-*
liarchum Comitem lembum admisit, & in puppi ad

dextram locavit. Solus honoris & fiducia causa, exclusis suis, cum Legato manere voluit; *Admiralis* in alium phaselum, in quo praeuntes sequeretur, translato. Ac ut ingredienti navem tormentorum expressio festiva applauserat, ita egredientem justus bombardarum omnium plausus excepit. Jussit per mediam classem, quae plurimis ac instructissimis constabat navigiis, Lembum invehiri, ut ab omnibus, cum prateriret, tormentorum crepitu salutaretur. Erant in portu 23. Rostratae, 12. a Parlamento fabricatae, reliquae ab eo conductae, epibatis & nautis refertae; omnes, uti eas Comes transiens prateribat, tormenta explodere, turba hominum plausum ciere; ac post plausum navarchi praecipui navibus exire, & conscensis propriis phaselis Comiti se praeternaviganti dare. Cumque plures essent, & hinc inde tonarent, & ex adverso, velut oppositae, tormenta exploderent, navalem pugnam simulabant, sed intra plausum extra terrorem naumachia erat. Itaque hos lintres post se habens pompae nauticae appendices, *Cubiliarchus* interioris portus fauces penetravit. Duae erant turres e regione politae ad custodiam & ornatum oppidi erectae, imminentes portui; & composito, ac velut ex certaminis studio boatu tormentorum excepere intrantem. Sequuta Arx muro iam inclusa, & rupibus mare despectantibus innixa: duae muralibus tormentis horribilis, eoque acundius, insonuit. Ut in conspectum oppidi venit, videtes circumjacentes campos turbam concursantem populi compleri, mox in oppidum effuso cursu ruere, ceterum ad spectaculum rei insitatae raperentur. Ubi litus attigit, sequentem se mixtam a suis ex alienis turbam *Cubiliarchus* expectavit.

(5)
pectavit. Collectos jussit prius exscendere. Jam antea & tum maxime sonare tubæ, strepere litui, plaudere sistræ, inflari tibiæ, pulsari tympana, & omnia genus instrumenta symphoniam conflare, quæ plausum molliorem dabant. In summo scalæ lapideæ, quæ ad angulum muri portum ad exscensionem efficit, erat Senatus oppidi honorario insignis habitu; omnes togati. Ab his Comes cum *Archithalasso*, honorificè exceptus, & habitû eleganti pro tempore Senatus principe oratione mirificè comendatus: cæterâ multitudine, quæ innumerabilis eo confluebat, attonitâ, & præ admiratione hilcente.

Ecce alius in terrâ triumphus, lictores cum falcatis securibus præcedebant, & oppletas populo vias expediebant; tum domestici omnes *Cubiliarchi*, ordine quisque suo, Lætiori habitu ad speciem pulchrè composito; deinde Navarchi mixti nobilibus, quos cum fratre secum *Cubiliarchus* adduxerat. Postremum Legatus paulum discretus a reliquis, cœu superior omnibus foret. Et quidem ille theatrum implebat, & regii personam Legati optimè sustinebat. Sequebantur Senatores, Principe Senatus propius Comitē incedente. Relicta ingens a tergo turba aliud secum agmen trahebat. Apparuit mira oppidi frequentia. Plateæ, fora, compita, fenestræ, tecta spectatoribus fervebant, nemo non lætus, nemo non hilaris, quidam plaudere, gesticulare quidam, quibusdam manare præ gaudio Lachrymæ, adeo ex æquo diversi affectus lætitiâ agitabant. Hac specie pompæ ad ædes Legato destinatas perventum, ibi rursus a circumfusus Senatoribus & navarchis, *Archithalasso* auctore, splendide exceptus. Ibi, more gentis, libatum Regi

Lusi-

Lusitania, Parlamento: Cubiliarcho, Archithalasso. Deinde inter se quibusque mutuò inter bellaria propinatum. Cum ad multum diei plausus processisset, conventus dimissus, & *Cubiliarcho* quiescendi locus; concursus omnium sententia fuit, non potuisse Regem, si eò se conferret, honorificentius haberi. In unam diem multorum annorum gloriam coniectam esse. Ac fuit qui divinaret prosperum ejus Legationis exitum fore, cujus tam fausta initia fuissent. Nec desuit, qui suspicaretur ea solennia, non nisi ex præscripto *Parlamento* esse instituta, quod etsi occultum pro sua Majestate haberi, re ipsa ob benevolentiam prodè manifestarique vellet. Unde conjectura sit prosperum *Londini Lusitanicæ Legationis* fore eventum, cum in remotissimo oppido tot & tanta gaudii argumenta extiterint. Certe *Anglia* populus hanc pompam ad futurum ibi triumphum speciosè prælusit. Nec tamen hic lætitiæ modus. Continuata in proximam noctem solennitas, confluentibus in domum Legati variis hominum generibus instrumentorum Musicorum peritis, qui mirum ex dissonis locibus concentum subinde excitabant.

Primis se intendentibus tenebris novus quidam sonus aures percutit, qui, quod sacer esse videbatur, intentiores reddidit. Is vero *Cymbalum* erat opportunè redditus, ut non modo gratus, sed religiosus tanti legati adventus redderetur. Ad intempestam noctem campani æris pulsus tenuit. Nec penituit hospitii populum: omnibus qui lætitiæ significationes ediderant, præmia constituta: nemo in donatus abiit. Ingens in eum usus vis pecuniæ insumpta celebriorem famam Legati effecit, ea per *Angliam* didi-

(7)

dita *Lupiano* nomini gloriam conciliavit. Ne gratius populo liberalitate & munificentia: Ea jam inde ab initio Navigationis in *Cubiliarcho* enituit. Nam *Anglicus* *Repub.* *archo*, qui sociæ Navi præerat, ut libentius in contractu esset, semel aureum annulum ingentis pretii, argenteum urceum cum subjecta ex argento patella dono dedit. Præfectum navis, quæ vehebatur, ingenti Malluvio argenteo signis aspero donavit, addito egregio ex auro interstincto pyropis annulo, flammæ in oculos emittente: Nemo ad eam cum mandatis, cum *Xeniis*, cum flosculis venit, quin gravibus pecuniâ manibus domum rediret. Hæc tamen, quæ summa plebi videtur, modica in tanto Principe laus, ac cæteris animi & corporis dotibus posthabenda. Illud commemorandum quod ad magnanimitatem pertinet. Cum ex *Archibalasso* audiret classem suam in expedito esse, eam brevi ex portu in Mare se educiturum, ut cum *Hollando* hoste confingeret, enixe rogavit, ut se expeditionis locum habere vellet, paratum se pro *Anglico* nomine adversus quoscunque hostes navigationis suæ infensos pugnandum sub eo imperatore, qui tantum sibi gloriæ erectis ubique trophæis comparaverat.

Atque ut ab hoc proposito desisteret, necesse fuit *Archibalasso* causas ejusmodi afferre, quæ legationis negotia retardabant, quibus ne *Cubiliarchus* deesset, consilium mutavit. Eminent in eo studium pietatis, quod multis domi forisque argumentis proditur. Insignem erga *Parlamentum* & *Rempub. Anglicam* amorem præ se fert, cujus felicitatem terrâ Marique effert ac extollit. Cæterum in colloquiis & confabulationibus salutantium, urbanum se & acutum ostendit;

stendit: in excipiendis hominibus ad se ventitantibus humanum exhibet, in adeundis Magistratibus Officiosum præbet, sed Majestatis semper Regiæ, quam Legati persona sustinet, haud immemor. Dominus ornata, Mensa opipara, Supellex lauta, comitum elegantia, splendor Vestium, Servorum multitudo, egregius tandem in eo oris & corporis habitus mire commendantur, ac spem faciunt fore, ut commissa illi ab Rege *Lusitania* negotia, quæ è *Rep. sunt Anglicâ*, ob egregia in *Lusitanam* gentem clarissimi *Parlamentis* studia optatum exitum fortiantur.

Londini 6 Calend. Septembres Anni salutaris 1652.

LONDINI

*Impensis Stephan: Bowtell: Bibliopole in vico
vulgo dicto Popes-Head-Alley. 1652.*
